

Variat 1: .. magnitudine paullo minore, aut
majore.

2.. fascia coleopterorum mox tridentata,
mox quadridentata, mox dentibus irregularibus
et obsoletis in fasciam fere integrum abiens.

3.. punctis elytrorum marginalibus, quæ
interdum tria, quatuor, quinque, aut sex, quæ
distincta, aut connata in lineolam marginalem
integræ, aut interruptam.

OBSERVATIO. *Buprestis pilosellæ* valde affinis
varietati *Buprestis discoidea* in tab. 10, fig. 65
entomologiæ D. OLIVIER depictæ, at hæc aut
cum nostra minime convenit, et tunc *Buprestis*
pilosellæ pro nova specie procul dubio habenda,
aut cum nostra una et eadem species est, et tunc
pro varietate *Buprestis discoidea* haud rite deli-
neavit celeberrimus Entomologus, nam *Bupre-
stis pilosellæ* discum elytrorum albidum semper,
nec testaceum habet, et hunc nunquam uti *Bu-
prestis discoidea*, interruptum. Insuper adde quod
Buprestis discoidea apud nos nunquam inventa
fuerit, et proportionibus corporis a nostra saltem
non nihil differat.

SPECIES 26.

Cerambyx miles.

C... thorace rugoso subspinoso, niger,

elytris apice testaceis rotundatis, antennis mari
mediocribus, fœminæ brevioribus.

Habitat obvius in toto Pedemontio in quer-
cubus, quarum truncis victitat larva; *cerambyce*
heroe senior et rarius; vespere sæpe volitantem
vidi, et copulam interdum observavi.

Inter europeos cerambyces post *Cerambycem*
heroem facile maximus, cum magnitudine illi
vix cedeat, statura etiam simillimus. Corpus to-
tum nigrum solis apicibus elytrorum testaceis,
et rotundatis. Thorax rugosus, maris vix spino-
sus, fœminæ inermis; antennæ corpore dimidio
breviores in fœmina, vix corporis longitudine
in mare.

Ut species facilius distinguantur, en hic
Cerambycis herois maris et fœminæ accuratam
atque comparatam descriptionem. . . . Corpus
nigrum elytrorum apicibus piceis angulo interno
spina terminatis (in *Cerambyce milite* dilutius
piceis sive testaceis, et rotundatis). Thorax ru-
gosus spina utrinque valida in mare, valde
distincta licet minore in fœmina (in *Cerambyce*
milite spina thoracis in mare fere obsoleta, in
fœmina omnino nulla). Antennæ corpore et
dimidio longiores in mare, corpore haud bre-
viores in fœmina (in *Cerambyce milite* antennæ
maris corporis longitudinem, fœminæ dimidiæ
longitudinem æquant).

Longitudo corporis <i>Cerambycis he-</i>	
<i>rois</i>	lin. 22 circiter
Latitudo maxima	" 7
Longitudo <i>Cerambycis militis</i> . .	" 18
Latitudo maxima	" 5

OBSERVATIO. In *Cerambyce heroe* mas sæpius
maximus, in *Cerambyce milite* mas sæpius mi-
nimus.

SPECIES 27.

Saperda plumbea.

S... plumbea, immaculata, elytris vire-
scentibus, fronte albo-villosa, scutello niveo,
antennis mediocribus.

Semel inveni fine maii in salice secus rivum *di*
Sassi dictum. Semel etiam a D.^{re} FERRERO lecta,

Magnitudo *Saperdæ cylindricæ*, statura elongata
fere *Saperdæ erythrocephalæ*, Thorax brevis,
inermis, cylindricus, immaculatus. Elytra punc-
tulata, subrugosa, nuda, apice paullulum fa-
stigata, pedes mediocres, corpori concolores,
antennæ filiformes, nigræ, immaculatæ.

SPECIES 28.

Callidium abdominalis.

C... thorace sublevi nitido, nigrum albo-
villosum elytris fuscis, abdomine fulvo, an-
tennis brevioribus.

